Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

In iezrahel quod semen dei dicitur abiit, cum ad ecclesie societatem per fidem, spem et dilectionem pertingit. Manus domini super heliam est facta, quia incarnatio christi a deo patre per spiritum sanctum ab eterno est preordinata. Helyas ante achab accinctis lumbis currit, quia christus in toto veteri testamento sue incarnationis sacramenta populo iudaico prescribit. Donec in iezrahel veniat, donec in plenitudine temporis ipse sue ecclesie in carne appareat. Achab iezabel nuntiat omnia que helyas fecerat, dum populus iudaicus synagoge per prophetas declarat quecumque filius dei in carne facturus erat. Quomodo universos prophetas gladio occidisset, quomodo filius dei sue incarnationis mysterio cunctos veteris testamenti doctores depositurus esset. Iezabel nuncium ad helyam mittit, cum synagoga sue impietatis ministerium in sanctorum prophetarum interfectione ad christum premittit. Hec inquit mihi dii faciant, scilicet principes sacerdotum, scribe et pharisei doctores mei, christum veteris testamenti destructorem interficiant. Et hec addant, scilicet apostolos et omnes eius predicatores de meis finibus expellant. Nisi hac hora, de qua ipse christus dicit iudeis in passione sua: sed hec est hora vestra et potestas tenebrarum. Cras posuero animam tuam, scilicet futuro tempore crucis supplicio affecero animam tuam, sicut animam unius ex illis, qui mihi loquuntur mysterium tue crucis. Hoc et ego omnibus testibus tuis pro mercede retribui, quod alium secando, alium lapidando, alium gladio necando, cunctos simul a me ignominiose repuli. Sequitur.

Timuit ergo helyas, surgens abiit quocumque eum ferebat voluntas. Venitque in bersabee iuda, et dimisit ibi puerum suum, et perrexit in desertum via unius diei. Cumque venisset et sederet subter unam iuniperum, petivit anime sue ut moreretur et ait: Sufficit mihi domine, tolle animam meam. Neque enim melior sum quam patres mei. Proiecitque se et obdormivit in umbra iuniperi. Et ecce angelus domini tetigit eum et dixit ei: Surge comede. Respexit, et ecce ad caput suum subcinericius panis et vas aque. Comedit ergo et bibit, et rursum obdormivit. Reversusque est angelus domini secundo et tetigit eum, dixitque illi: Surge et comede, grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset, comedit et bibit. Et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem dei oreb.

Helias timet, quia christus in passione turbatur et dolet. Surgens abiit quocumque eum voluntas ducit, quia surgens a mortuis in dispersionem gentium transiit, ubi sue voluntatis effectum invenit. Sancta scriptura more capree huc illucque excurrit, modo sub presenti, modo sub preterito, vel futuro tempore christi mysteria describit. Helyas in bersabee iuda venit, cum christus in ecclesie unitatem venit, in qua sui nominis laudem providit. Bersabee enim puteus sacietatis vel puteus septimus interpretatur, quo nomine sancta ecclesia designatur, que septiformi sancti spiritus gratia inundatur, cum fide et dilectione christus exsaciatur. Ibi helyas puerum suum dimittit, quia christus in sancte ecclesie unitate ut ordinem propheticum, ita ordinem predicatorum constituit. Via unius diei in desertum pergit, cum solius veteris testamenti notitiam synagoge tribuit, cuius cor quasi desertum fuit, cum dei timore et amore caruit. Helyas veniens subter unam iuniperum sedet, cum christus sub aculeata legis littera suorum sacramentorum umbram confovet. Iuniperus enim arbor est aculeis exasperata, per quam vetus lex figuratur, valde in superficie littere amaricata. Helyas petit anime sue ut moriatur, quia christus in sua passione pro populi iudaici obcecatione valde contristatur. Sufficit inquit mihi domine, quod gentium plenitudinem video salvari meo sanguine. Tolle animam meam, ut plenitudini gentium et reliquiis iudeorum per mortem meam eterne vite conferas gratiam. Neque enim melior sum quam patres mei, patriarche et prophete tui, quibus in suscepte mortalitatis conditione